

Nascitur Smyrnae regione, iuxta delubrum matris deum. In reliquis claritas generi non fuit alicui. Anno fuit omnium generum bonitas, L. Opimio consule, cum C. Gracchus Tribunus plebem seditionibus agitans interemptus, ea caeli temperies fulsit, quam coeluram vocant, solis opere, natali urbis d. cxxxiiij. Durantq; adhuc vina ducentis fere annis, iam in specie redacta mellis asperi: etenim hac natura vinis in vetustate est: nec potari per se queunt, si non peruincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita: sed ceteris vinis commedandis minima aliqua mixtura medicamenta sunt, quo fit ut eius temporis aestimatione in singulas amphoras centeni nummi statuuntur. Ex his tamen usura multiplicata semissibus, quae civilis ac modica est, in C. Caesaris Germanici filij principatu, annis clx. singulas uncias vini constituisse nobili exemplo docuimus, referentes vitam Pomponij Secundi vatis, conamq; quam principi illi dedit. Tantum pecuniarum detinet vini apotheca. Nec alia res maius incrementum sentit ad vicesimum annum, maiusue ab eo dispendium, non proficiente pretio. Raro quippe adhuc fuere, nec nisi in nepotatu, singulis testis milia nummum: Viennenses soli picata sua, quorum genera diximus, pluris permutasse, sed inter sese amore patrio creduntur. Idq; vinum frigidius reliquis existimatur in frigido potu.

\* vitam

De natura vini.

CAP. V.

Vino natura est, hausto accedendi calore viscera intus, foris infuso refrigerandi. Nec alienum fuerit commemorare hoc in loco, quod Androcydes sapientia clarus ad Alexandrum Magnum scripsit, intemperantiam eius cohibens: Vinum potaturus rex, memento te bibere sanguinem terrae: sicut cicuta homini venenum est, sic cicuta vinum. Quibus praecipis si ille obtemperauisset, profecto amicos in temulentia non interemisset. Prorsus ut iure dici possit, neque viribus corporis vtilius aliud, neq; aliud voluptatibus perniciosius, si modus absit.

Vina generosa.

CAP. VI.

Genera autem vini alia alijs gratiora esse, quis dubitet? aut non ex eodem lacu aliud praestantius altero germanitate praecedere, siue testa, siue fortuito euentu? Quam ob rem de principatu se quisq; iudicem statuat. Iulia Augusta lxxxij. annos vitae pucino retulit acceptos, non alio vsa. Gignitur in sinu Adriatici maris, non procul a Timauo fonte, saxeo colle, maritimo afflatu paucas coquente amphoras. Nec aliud aptius medicamentis iudicatur. Hoc esse crediderim, quod Graeci celebrantes miris laudibus pyethanon appellauerunt ex Adriatico sinu. Diuus Augustus Scitum praetulit cunctis, et fere secuti principes, confessa propter experimenta, non temere crudelitibus noxijs ab ea salua nascitur supra forum Appij. Antea Cacubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis, sinu Amyclano: quod iam intercidit et incuria coloni locique angustia, magis tamen

fossa Neronis, quam a Baiano lacu Ostiam usq; nauigabilem inchoauerat. Secunda nobilitas Falerno agro erat, et ex eo maxime Faustiano. cura culturaq; id collegerat. Exolescit hoc quoq; , copiae potius quam bonitati studentium. Falernus ager a ponte Campano laeua petentibus urbanam coloniam Syllanam nuper Capuae contributam incipit. Faustianus autem circiter quatuor miliaria a vico prope Cedias, qui vicus a Sinuessis vi. milibus abest. Nec vlli in vino maior auctoritas: solo vinorum flamma accenditur. Tria eius genera, Austerum, dulce, tenue. Quidam ita distinguunt, Summis collibus Gauranum gigni, medijs Faustianum, imis falernum. Non omittendum autem nulli eorum quae celebrentur iucundum saporem vna esse. Ad tertiam palmam varie venere. Albana vrbis vicina praedulcia ac rara in austero. Item Surrentina in vineis tantum nascentia, conualescentibus maxime probata, propter tenuitatem salubritatemque. Tiberius Caesar dicebat consensisse medicos, ut nobilitatem Surrentino daret, alioquin esse generosum acetum. C. Caesar qui successit illi, nobilem vappam. Certat massica aequae ex mote Gaurano: Puteolos Baiasq; prospectantia. Nam falerno cotermina Statana ad principatus venere non dubie: palamq; fecere, sua quibusq; terris tempora esse, sicut rerum prouetus occasusq; . Iuncta his praeponi solebant Calena, et quae in vineis arbutusq; nascuntur fundana. Ex alia vicinia vrbis Veliternina, Priuernatiaq; . Nam quod Signia nascitur, austeritate nimia continenda vtile aluo, inter medicamina numeratur. Quartum curriculum publicis epulis obtinere a diuo Iulio (is enim primus auctoritatem his tribuit, ut in epistolis eius apparet) Mamertina, circa Messanam in Sicilia genita. Ex ijs Potulana, ab autore dicta in loco proximo Italiae laudantur praecipue. Est in eadem Sicilia et Taurominitanis honos, lagenis pro Mamertino plerumq; subditis. Ex reliquis autem a superno mari Praetutia, atq; Ancone nascuntur, et quae a palma vna forte enata palmesia appellantur. In mediterraneo vero Cefenatia ac Maecenatiana. In Veronensi item Rhetica, Falernis tantum posthabita a Vergilio. Mox ab intimo sinu maris, Adriana. Ab infero autem Latiniensia, Grauiscana, Statoniensia. Heruriae palma Luna habet, Liguria Genua. Inter Pyrenaeum alpesq; Massilia gemino sapore, quando et condiendis alijs pinguius gignit, quod vocant succosum. Beterrarum intra Gallias consistit auctoritas. De reliquis in Narbonensi genitis asseuerare non est, quoniam officinam eius rei fecere tingentes fumo, utinamq; non et herbis, ac medicaminibus noxijs. Quippe etiam aloen mercantur, qua saporem coloremq; adulterant. Verum et longinquiora Italiae ab Ausonio mari, non carent gloria, Tarentina, et Seruitiana, et Consentia genita, et Tempse ac Babia, Lucanaq; antecedentibus Thurinis. Omnium vero eorum maxime illustrata Messala potu et salute Lagarina, non procul Grumentum nascuntur. Campania nuper excitauit nouis nobis auctori

10

20

30

40

50